

§. 4. In specie verò Animam definimus (x) separatam, quod sit Substantia, immaterialis finita, à corpore, cujus actus & forma erat, per mortem sejuncta, ad idemq; naturalem propensionem habens, cum eòq; reduniri gestiens.

§. 5. Genus est Substantia immaterialis finita. Quod, ut verum sit, à posteriori cognoscimus, quia variis substat Anima accidentibus, eaque in se continet. At verò accidens non aliis substat accidentibus ea respiciendo vel sustentando; sed solius Substantiæ proprium est. Nec absolutè Substantia dicitur, sed quæ immaterialis & finita est, qualis quoque Angelus Substantia dicitur in nostrâ disp. de Angelis. Et hoc ex Divisione Substantiæ facilius & clarius profluit, qua in finitam & infinitam dispescitur, quarum illa solius DEI est, hæc Angeli & Animæ hominis. Rationalis Angelus & rationalis Anima hinc per τὸ Infinitum, quò à DEO differunt, conveniunt, eòque inter se communi Prædicato gaudent. Uterque enim terminos Essentiæ suæ habet, quò non intelligimus eam finitatem; quæ secundum quantitatem est, & terminis quantitatis definitur, sed quæ nullos habet essentiæ suæ terminos. Animam proinde Spiritum esse finitæ essentiæ, nunc clarum est, quia unum tantum est Ens infinitum, sc. DEUS T. O. M.

§. 6. Formale Sep. Animæ his indicatur verbis: *A corpore per mortem sejuncta.* Geminum hinc colliges Animæ nostræ statum; Conjunctum & Separatum; ille est homine vivo, hic defuncto. Sicut enim vita est in Animæ & Corporis conjunctione, sic mors in animæ à corpore separatione.

§. 7. Per hæc: *à corpore, cujus actus & forma erat, per mortem sejuncta;* Anima separata distingvitur (1) ab Angelis, qui nullius corporis formæ & actus sunt, (2) à se ipsa in statu conjuncto. Nimir. quæ unita corpori erat, ut constitueret & poneret hominem in specie sua, morte sejungitur à corpore, ut à munere informationis sit libera. Reliqua definit. verba ob facilitatem explicatione non indigent.

§. 8. De statu Separatæ Animæ tres potissimum Autorum sunt sententiæ. Prima violentum (y) defendit. Secunda

(x) est Def. B. Zeis. in disp. de an. sep. sect. 2. à quâ non multum recedit Pl. Rev. & Exc. Du. D. Bechm. in Coll. Sp. Met. sect. 3. §. 9.

(y) Ferrariensis lib. 2, cont. gentes, c. 83, circa 4. rationem

asse-